

40

P. lat. rec.

954

954.


P. lat.  
rec.

ELEGIA  
**IN FESTVM PEN.**  
**TECOSTES.**

*Am Battholmæa Windesore Monasterij.*


**Scripta & dedicata**

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,  
 Amplissimoque Domino, Dn. ANDREÆ Abbati  
 celeberrimi ac famosissimi Monasterii VVint-  
 vverckenfis, Domino suo  
 colendissimo.



**Authore**

**Nicolao Pyrs Fischbacensi, An. 1603.**



ESTVMPEN

1808

Books & Stationery

PRINTED BY ...



Author

... ..

# ELEGIA.

**S**ACRA canant alij furibundi turpia Bacchi,  
Ac recinant plenis Orgia foeda sonis.  
Me veneranda iuuat sanctis celebrare Camœnis,  
Quæ celebrat Christo dedita, festa, cohors.  
Ebria clamabat Bacchi mysteria quondam  
Heu nihilo melior numine turba suo.  
Nostra suo melius firmata autore probatur  
Relligio è summi mente profecta DEL.  
Nec Cyrrhæc mihi, nec tu mihi Delie vates  
Auxilium, nec tu, Castali turba feras.  
Altius assurgit vero mens numine fulta,  
Maiori tentans numine maius opus.  
Ergo ades his ausis triplici Deus vnice nexu,  
Quem decet immensa voluere cuncta manu.  
Conatus Deus alme iuua, viresq; ministra,  
Et, precor, ad laudes suggere verba tuas.  
Sic sacra diuinæ plena mysteria voce.  
Diuino fretus numine, lucis agam.  
Auspikor, auspicium mihi tu certissimus auspex  
Concedas, supplex, Spiritus alme, precor.  
Sic mea felici cursu volitabit arundo,  
Incumbetq; mihi cura labore minor.

**L**abe patres tristi cunctos inimica nepotes  
Cum primi ad Satanæ Tartara conserent,  
Spes demum amissæ reparandæ nulla salutis  
Sollicitisq; nihil mors nisi sæua fuit.  
Iamq; Erebi miseros regnis mors atra dicarat,  
Iamq; necis fuerat triste homo mancipium,  
Cum desperatis fulsit Sol rebus amicus,  
Lataq; propitium reddidit hora Deum.  
Nascitur intacta proles venerabilis aluo  
Humanæq; subit flebile carnis onus.  
Sustinet horrendas alienæ crimine culpæ  
Plagas, cum colaphis aspera flagra, crucem.  
Nec frustra, hæc fructu est mors compensata, iacetq;  
Autore hoc, Stygij regia strata ducis.  
Sæuis infensus Satanas, subitoq; tremore  
Concussus doluit rapta trophæa sibi.  
Iam niger optata præda exultauerat Orcus,  
Humana fuerant gaudia parta nece.  
Sed breue Tartareis spacium sua regibus antra  
Eripuit, mortis fregit & arma nigra.  
Iamq; suo domitos hostes vbi contudit arcu  
Christus, & est nobis reddita prisca salus,  
Humanum ipse solum, terrestria regna reliquit,  
Nubiuago findens nubila densa pede.  
Neu se desertam quereretur turba fidelis,  
Et prisicum Satanas mox renouaret opus,  
Ipse grauem generis sortem miseratus amici  
Tartareæq; videns flammea corda domus,  
Æthere sollicitis mittendum spondet ab alto,  
Pectora quo possint flamine casta regi.  
Nec mora magna. Ruit celso Paracletus Olympo,

et  
Nascitur

Et graue diuino numine complet opus.  
 Namq; micant linguæ diuino cœlitus igne,  
 Flammea q; æthereus spiritus ora capit.  
 Ignotoq; prius sacros idioma ritus  
 Discipuli Christi dogmata sancta docent.  
 Iamq; sua (mirum) Medus, iam Persa docetur  
 Iam q; alius lingua discere quisq; Deum.  
 Mirantur proceres, miratur talia vulgus,  
 Multus & in Solymis hæc stupet hospes agris.  
 Improba diuinum contemnens turba laborem  
 Affingit madido talia gesta mero.  
 At licet indignis Satanas insultibus vtens  
 Spernere diuinum turpiter ausit opus,  
 Causa inuicta tamen facile improba dicta refellit,  
 Et res auspicio nititur ipsa suo.  
 O facer, ætherea lapsorum pectora flamma  
 Qui regis, illustrans lumine cœca nouo.  
 Altius humanum claro qui tollis Olympo,  
 Atq; doces fidei mystica sacra genus.  
 Tristia nos veteris premerent contagia culpæ,  
 Iam q; Erebi miseros flamma voraret atrox,  
 Tu nisi diuino præluces cordibus igne  
 Erigeres humili pectora strata solo.  
 Tu facis, vt scelerum capiant obliuia mentes  
 Debita. Tu tristi corda dolore leuas.  
 Quosq; sibi toto Christus collegit in orbe,  
 Dogmata concordēs voluere sacra facis.  
 Tu facis, ut castis ardescant pectora flammis,  
 Mortales q; sibi vinciat vnus amor.  
 Vtq; sacra possit gauderi nomine pacis,  
 Hoc reor indubiè muneris esse tui.

Quicquid & immenso geritur feliciter orbe,  
Muneris hoc, dulcis Spiritus, omne tui est.  
O decus æthereum, venerandum in secula numen,  
Fine carens omni principioq; Deus,  
Respice, quas humili fundo tibi debitor ore,  
Quasq; tibi meditor supplice mente preces.  
Fac tua te videat præsentem Ecclesia tristis,  
Hancq; ope sustentens, Spiritus alme, tua.  
Namq; procellosis prostrata furoribus illa  
Hostibus indignè præda dolenda iacet.  
Et iacet & nimio premitur sub pondere, lætam  
Expectans avidè, si qua feratur, opem.  
Vndiq; tela timet, sæuo iacet vndiq; cincta  
Hoste, inter medios errat ut agna lupos.  
Hinc Satanas, illinc mundus funesta minatur  
Bella. Ciet passim turba inimica metum.  
Tu fer opem tremulas tendenti ad sydera palmas,  
Sperantiq; suæ dulce salutis opus.  
Grata tibi grato soluet sua pectore vota,  
Ibit & in laudes ingeniosa tuas.  
Hinc rege, quâs mundi rectoribus ipse dedisti  
Regia Iustitiæ vertere sceptrâ manu.  
Quos tua religio, quos legum oracula sancta,  
Et quos Iustitiæ munera sacra iuuant.  
Me quoq; propitio vultu rege quæso meosq;  
Æthereaq; meas respice luce preces.  
Vita scatet scelerum tantum non obruta mole,  
Peccati & nimium sentio tristis onus.  
Immemor heu multa vitæ cum labe peractæ  
Fœderis existas tu memor, oro, tui.  
Nec se difficilem tristi tua gratia vultu

Præbeat

Præbeat heu multo crimine pulsa mihi.  
Conatus nostri potiùs sis rector & autor,  
Sicq; mihi liceat, nil nisi, velle, bonum.  
Te mea perpetuis resonabunt laudibus ora,  
Dulce canent laudum pectora grata melos.  
Et meritò. Nam sacra decent te cantica semper,  
Iure tibi summum floret in orbe decus.

Præparatum tunc et tunc illis  
Gonem non potest fieri per  
Sicut in illis, nil aliud  
Te non pariter, et non  
Duce carum, laudat per  
Et miris, Nihil deest  
Iure non laudat, in hoc